



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Liber De Prvdentia Ivstorvm

Juan <de Jesús Maria>

Coloniae Agrippinae, MDCXIV

Cap. III. Monet puritatem intentionis in bonis operibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46940](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46940)

vos, & è magna tribulatione venientes, ac super niuem sanguine meo dealbatos deducam in æternam requiem meam,

CAP. III.

Monet puritatem intentionis in bonis operibus.

BEATI serui illi, qui in omni opere suo, mouentur sola, & pura intentione placendi mihi. Qui simplicem oculam columbarum habentes, nihil desiderant, vel quærunt præter me. Sed vix mundo, quàm pauci sunt, qui commoditatem suam, vel lucrum, vel gloriam hominum non quærant. Circuite vias Ierusalem, & inquirete, an inueniatis virum facientem fidem, & non quærentem, quæ sua sunt: & propitius ero ei, & laudabunt eum in portis opera eius. Verùm scio huiusmodi viros rarissimè inueniri: & non solùm plebeios ignorantes viam Domini, sed optimates etiam bona opera, quæ faciunt, oculo nequam malæ intentionis corrumpere. Gloriantur ipsi etiam Ecclesiastici, qui videntur

rectè

rectè agere, se propter Ecclesiæ spon-
sæ meæ bonum in suis prælationibus,
& dignitatibus laborare: & tamen
redditus dignitatum, & honores ho-
minum potius, quàm gloriam meam
requirunt; testimonium ipsis perhi-
bente conscientia ipsorum, & cogita-
tionibus, cum remorsu animæ, inui-
cem accusantibus, & defendentibus.
Quin etiam, quod magis dolendum est
ipsi Religiosi, qui mundum contem-
pisse videntur, in suis exercitijs legen-
di, prædicandi, & consulendi, non tam
mihi, quam hominibus placere stu-
dent. In veritate dico vobis, quia Vir-
gines fatuæ sunt: & dum laudes huma-
nas expetunt, oleum lætitiæ, quam ge-
nerat bona conscientia, in vasis cordi-
um suorum habere nolunt. Quid est
hoc? Vbi est fructus pretiosissimi san-
guinis mei? Quomodo obscuratum est
aurum antiquæ charitatis, qua serui
mei, in Ecclesia primitiua, flagrabant:
qui per Episcopatus, & officium præ-
dicationis, non ad diuitias, & honores,
sed ad tormenta, & persecutiones,
propter me currebant? Reuertimini,
filij

filij mei, ad primam charitatem, & oculum intentionis inungite callyrion sanguinis mei; Vt in omnibus oneribus, & honoribus, nihil, nisi gloriam meam, requiratis. Et ego qui synceritate cordis delector, remunerabo labores mei causa susceptos: & sicut incorrupta intentione, confessi estis me coram hominibus, ita ego confitebor vos coram Altissimo Patre meo.

C A P. IV.

Hortatur ad resignationem in Dei beneplacitum.

NIHIL est, filij charissimi, quod maiorem cordis pacem generet, quam perfecta resignatio in beneplacitum meum. Si enim in omni aduersitate, & prosperitate cor hominis in ijs, quæ facio, sibi complaceat; nulla ei nocebit aduersitas, quia nulla ei dominabitur iniquitas. Immo hauriet a quas in gaudio, à me fonte viuo, & amantissimo saluatore suo: quia si uè valeat, siue ægrotet, siue laudetur siue vituperetur, lætabitur in salutari suo, qui facit omnia, secundum consilium rectissi-

ma vo-